

**Rector Et Concilium Academiae Fridericianae Buetzouiensis Civibus Memoriam
Resurrectionis Christi Pie Recolendam Pro More Indicunt : Præmissa
Commentatione, Qua Argumenta De Ebionæis E Numero Hostium Divinitatis
Christi Eximendis Concluduntur**

Buetzovii: Typis Johann. Gotth. Fritzii, [1768]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn886934192>

Druck Freier  Zugang



RECTOR ET CONCILIUM
ACADEMIÆ FRIDERICIANÆ
BUETZOVIIENSIS
CIVIBUS
MEMORIAM
RESURRECTIONIS
CHRISTI

PIE RECOLENDAM

PRO MORE INDICUNT.


PRÆMISSA COMMENTATIONE, QUA
ARGUMENTA DE EBIONÆIS E NUMERO HO-
STIUM DIVINITATIS CHRISTI EXIMENDIS
CONCLUDUNTUR.



BUETZOVII

TYPIS JOHANN. GOTTH. FRITZII, SEREN. PRINC. AUL.
ET ACADEM. TYPOGR.

1768
type
Bützow 069




I. N. J.



§. I.

Superiori commentatione extrema monuimus, ex *Pseudo-Clementis Recognitionibus & Clementinis*, commentario *Epiphanii de Ebionæorum* dogmate multum posse lucis affundi: Quod jam paullo explicatius docere non alienum erit, priusquam ipsius *Epiphanii* narrationem ulterius prosequamur. Fuisse auctores istorum foetuum homines, quod si non plane *Ebionæos*, Judæos tamen Semi-Christianos ad *Ebionæorum* dogmata proxime accedentes, a *Cotelerio* aliisque dudum observatum est, & longe pluribus argumentis demonstrari posset, si id nunc ageremus. Ut enim unum eundemque hominem & *Recognitiones Clementis & Clementinas homilias* conscripsisse mihi persuadere vix possim, istud imprimis facit, quod uterque libellus, quanquam quoad summam narrationis inter se conveniant, in ipsis tamen sententiis magnam præ se ferant discrepantiam,

a 2



tiam. Purius quodammodo & sanius dogmata in *Recognitionum* libris fluunt, quam in *Clementinis*, ubi longe plura inepta, fanatica, & propemodum blasphemata occurrunt. Putem igitur, postquam *Recognitionum* libri ab ebionæo quodam homine editi fuerint, alium deinceps impostorem quendam accessisse, qui eos interpolaret, & adhuc inquinatiores redderet. Sed quomocumque hæc sese habeant; multa jam ex his *pseudo-Clementinis* foetibus, ad illustrandas res Christianorum antiquissimas facientia, egregie monuit b. *Joa. Laur. Moshemius* in *Dissert. de turbat. per recentiores Platonicos eccles.* §. XXXIV. ff. Sed longe plura addi queant, quibus non christianæ modo antiquitati, sed & prisæ Judæorum theologiæ ingens lux comparari, multaque maximi momenti capita illustrari possent. His vero in præsentia prætermisissis, & ad aliud tempus locumque rejectis; quandoquidem a re proposita nimis longe nos essent abductura, unum tantummodo alterumve locum afferamus, quo *Epiphani* commentarius in hoc nostro de Messæ persona dogmate illustretur ac confirmetur.

§. II. Ad istam de primo homine quod attinet fabulam, cujus superiori commentatione §. X. mentionem injecimus, quasi ipsum *Ebionæi* Messiam fuisse dixerint; nihil plane hujus generis apud *Pseudo-Clementem* occurrit: sed cuncta potius repugnant. *Recognit.* L. I. c. 52. impostor Christum equidem omnibus generationibus inde a condito mundo, & Patriarchis præsertim adfuisse affirmat, atque sic & primo homini *Adamo*: *Christus*, inquit, *qui ab initio & semper erat, per singulas quasque generationes piis, latenter licet, semper tamen aderat, his præcipue, a quibus expectabatur, quibusque frequenter apparuit.* Addit etiam cap. 47. *Adamum prophetam fuisse.* Sed tantum abest, ut istum primum hominem Messiam ipsum fuisse diceret, ut potius illum hanc unam ob causam & prophetam extitisse, & immortalitate donatum fuisse asseveret, quoniam ipsum, ut reliquos pios, Messias cœlesti isto & æterno oleo ex ligno

ligno vitæ confecto inunxerit, ad cuius similitudinem deinceps oleum Aaronis terrestre fit institutum. Conf. *cap. 45*. Eodem modo hac de re *Clementinorum* auctor disputat. Christum primo, ut & in *Recognit.* libris fit, constanter *unum solum verum prophetam* vocare solet, cui tuto in omnibus credere possis. De reliquis vero prophetis abjectius sentit, errasse eos nonnunquam, & vera falsis permixta protulisse, contendens. Vid. *Homil. II. cap. 38. seqq. Homil. III. cap. 23. seqq.* Quam injuriam prophetis illatam etiam *Epiphanius* in *Ebionæis* nostris notat, *cap. 17*. Sic enim accipienda esse arbitror, quæ iste *Ebionæis* de contemtu erga prophetas crimini dat, quod eos *prophetas συρεσεως* tantummodo, & *ἀληθείας*, vocaverint: ad quæ verba illustranda recteque interpretanda multa apud *Pseudoclementem* occurrunt, quæ nunc quidem persequi nolo. Deinceps impostor Adamum eodem plane modo, quo Messiam, verum prophetam quidem appellat, superque reliquos maximopere extollit, ut qui *omnia sciverit*, reliqui vero prophetæ quidquid veræ prophetiæ habuerint, acceperint ab Adamo, infirmitates vero falsaque ipsorum visa ortum traxisse *ab Eva*, vid. *Homil. III. cap. 18. 22*. In his nugis evolvendis jam morari nolo: istud in præsentia quæro, num propterea *Pseude-Clemens* fortasse, Adamum ipsum Messiam fuisse, dixerit? Atqui id nusquam invenio: sed repugnat potius auctor, omniaque ista primi hominis ornamenta non ex eo suspendit, quod ipse Messias fuerit, sed quod habuerit *το ἅγιον χριστιανικόν πνεῦμα*, *sanctum Christi spiritum*, quæ ipsius verba sunt, *Homil. cit. cap. 20*. Conf. *Homil. VIII. cap. 10*. Cæterum prudens rerum æstimator ex his facile conjiciet, quomodo acciderit, ut *Epiphanius Ebionæis* ineptum istud dogma, de Messia primo homine, tribueret. Statuebant nimirum, peculiare quoddam & præcipuum, præ reliquis prophetis, intercisisse inter Messiam & primum hominem commercium. Admiscebant fortasse nonnulli ex ipsorum numero sequioribus temporibus somnia quædam fanatica de reliquis prophetis, quod non

proxime ab ipso Messia, sed per propagationem & derivationem quandam ab Adamo, aliquid doni prophetici acceperint, qui solus proxime ab ipso Christi spiritu fuerit animatus, & perfectam similitudinem cum Messia, quod ad infallibilitatem vaticinandi attinet, habuerit. Hoc vero ab imperitis adversariis usque eo videtur exaggeratum tamque sinistre acceptum fuisse, ut absurdum istud decretum inde cusum *Ebionæis* impingeretur.

§. III. Nunc vero in recensendo *Epiphani* commentario tantisper pergamus. Postquam cap. XIV. dixisset: *Jesum*, *Ebionæi*, merum hominem esse putant, in eoque resedisse Christum, qui columbæ specie sit illapsus, cum eoque conjunctus; addit: Ita *Jesum* ipsum esse Christum, ex utriusque parentis semine progeneratum. Rursum vero non hominem esse Christum, ex hoc ejus responso colligunt, quod cum illi renunciaretur, ecce mater tua cæt. hunc in modum respondit: quæ est mater mea cæt. His verbis primum *Epiphanius* aperte & perspicue declarat, quo sensu *Ebionæi* *Jesum* merum hominem dixerint: quia ipsum nimirum putabant, ut reliquos homines, naturali modo progeneratum, usque ad tricesimum ætatis annum sine ulla cum divina natura arctiori conjunctione, nudum hominem permanisse, dum baptismi demum tempore cœlestis & divinus Messias in ipsum descenderit, sicque ipse hic *Jesus* propter hanc cum divina Messia natura initam unionem, sive propter *Schechine* in ipso factam manifestationem, *Christus* seu *Messias* evaserit. Deinde & illud manifestum esse arbitror, injuriam *Ebionæis* fieri, quam ipsi solenniter deprecari solebant, si quis ipsos propterea, quod *Jesum* merum hominem dicerent, negatæ divinitatis Messia acculare velit. Ipsi enim sententiam suam satis perspicue declarabant, quod quamvis *Jesus* sit nudus homo, eo quo antea dixerant sensu, *Messias* in univèrsum tamen talis non sit: sed conjunxisse se cum *Jesu* homine cœlestem aliquam & divinam naturam, ut verus Messias esse, messianaque munera explere possit. Hinc *Messiam* longe sublimius & excelsius quid esse, diserte testabantur. Hoc

Hoc totum, cum ex ipso *Ebionæorum* antiquissimo evangelio defumtum sit, absurdum foret suspicari velle, ab *Elxai* nescio quo? ad ipsos demum pervenisse. *Epiphanius* equidem hoc loco rursus nil nisi contradictiones repugnantesque voces apud *Ebionæos* deprehendere sibi vilis est. Adjicit enim continuo: *hinc ille præstigiis instructus Ebion varias se in larvas atque effigies deformat; ut ex iis, quæ initio dicta sunt, tetrum & horribile quoddam monstrum appareat.* Quasi vero ipse *Epiphanius*, & quivis alius orthodoxus eodem modo disputare non cogatur, Messiam nunc ut *hominem*, nunc ut Deum prædicando. Sed quemlibet ingenuum lectorem facile animadversurum confido, bonum patrem ex inadvertentia animi & imperitia, aut ex odio adversus istud hominum genus, tanquam repugnantia accepisse, quæ optime inter se & cum præcis Judæorum opinionibus cohærent. Non igitur temere istis *Epiphani* declamationibus, quibus *Ebionæos* ut monstra humani generis, horrore plena, depingere studet, fidem tribuamus: sed cunctis libere & ingenue inter se collatis, sine partium studio indagemus & statuamus, quosnam vere foverint *Ebionæi* sensus.

§. IV. Progrediamur cum *Epiphanio* ad cap. XVI, ubi ita iste de *Ebionæorum* dogmate: *Jesum ex virili semine productum affirmant, & electum: itaque Dei filium appellatum ab eo Christo, qui in ipsum columbæ figura de cælo delapsus est. Negant vero, a Deo Patre illum esse genitum, sed tanquam unum ex archangelis creatum, & iis tamen majorem; qui & angelis & universis, quæ sunt ab omnipotente condita, dominetur, & in hunc orbem venerit, cæt.* Habes rursus quodammodo totam doctrinæ ebioniticæ formam de persona Messæ, perspicuamque declarationem, quo sensu istud evangelii sui fragmentum, de *Christo cælesti* super *hominem Jesum* delapso, interpretati sint. *Jesum* naturali quidem modo progenitus, ut reliqui homines, sed *justus & sanctus homo a Deo electus* est, ut promissi Messæ munus subiret, in eumque divinus Christus, sive Schechina, descenderet;

déret; quomodo a prophetis prædictum fuisse, Judæi istius antiquioris temporis credebant. Hic *Schechina* descensus, eaque illius cum *Jesu*, sancto & electo homine, conjunctio tempore baptismi accidit, Messia cœlesti sub forma columbæ de cœlo delabente. Hanc ob causam ipse *Jesus homo* appellationem filii Dei sortitus est; quoniam hoc nomine divinus Messias cum eo sese conjungens, antiquitus a judæis insigniri solebat. Conferantur, quod ad electionem nudi alicujus sed sancti hominis ad Messiaæ munus & dignitatem attinet, in quo per *Elie* inunctionem Deus Israël, sive *Schechina*, sese sit manifestaturus, ea, quæ commentatione nostra II. ex *Tryphone* judæo apud *Justinum* M. audivimus: & addantur, quæ *Epiphanius* noster infra, cap. XVIII. differit. *Quod ad Christum attinet - - - sentiunt*, inquit, *Christum Dei filium progressionem quadam virtutis (καταπροκοπήν), & conjunctione cum Deo factum esse, quatenus ad sublimia cœlestiaque evehctus est (καὶ κατὰ συναφίαν ἀναγωγῆς, τῆς ἀνωθεν πρὸς αὐτὸν γεγεννημένης) - - - proinde Jesum solum prophetam, & hominem, & filium Dei, & Christum esse, licet merus homo sit - - - qui ob egregiam virtutem Dei filius appellari meruerit.* Totus hicce locus ex iis, quæ adhuc disputata sunt, & ipsi *Ebionæi* de veris animi sui sensibus declararunt, perspicuam habet facilemque interpretationem.


§. V. Sed licet ex his simul *Eusebii* narrationem quodammodo emendare, qui *Hist. eccl.* L. III. c. 27. utriusque generis *Ebionæos* ex male intellecta, ut opinor, ipsorum loquendi & disputandi ratione, simpliciter negatæ divinitatis Messiaæ reos peragit. *Christum*, inquit, *simplicem ac vulgarem, nec aliud, quam hominem esse censebant, qui profectu virtutis justus factus fuisset (κατὰ προκοπήν ἢ θεὸς ἀνθρώπων δεικναιόμενον) - - - Alii ab his, sed eodem nomine (Ebionæi) nuncupati, absurdam priorum sententiam refugientes, Christum quidem ex virgine & Spiritu s. genitum esse non negant: sed iidem nihil ominis, cum*

Chri-

Christum utpote Dei verbum ac sapientiam Patris ante omnia exitisse minime fateantur, in eandem cum prioribus impietatem prolapsi sunt. Non video, quomodo *Eusebium* ab illata *Ebionæis* summa injuria, & ab iniqua interpretatione sententiæ ipsorum liberare velimus. Quid enim? *Eusebione* potius credamus, quam ipsis *Ebionæis*? ex quorum ore *Epiphanius*, & quod ad alterum *Ebionæorum* genus attinet, quos *Nazaræos* fuisse supra docuimus, *Hieronymus* longe aliam nobis narrat professionem fidei. Quam hoc foret iniquum, quivis intelligit. Aut dicemus fortasse, per istud haud adeo magnum temporis intervallum, quod inter *Eusebium* & *Epiphanium* *Hieronymumque* intercefferat, *Ebionæos* & *Nazaræos* plane novum anteaque ab ipsis ignoratum & improbatum dogma suscepisse, atque hujus rei gratia librum suum fundamentalem, seu ipsum evangelium refinxisse, totamque doctrinæ suæ immutasse formam? Ne hoc quidem quendam rerum humanarum intelligentem hominem facile sibi persuasurum arbitror. Nec etiam ejusmodi ambagibus & difficultatibus opus est. Facile enim perspicere possumus errorem patrum nonnullorum, unde ortus sit, & quænam fuerit causa hujus in *Ebionæos* collatæ injuriæ. Primum enim, quod jam supra observavimus, patres loquendi mori Judæo-Christianorum non adueti *Christum* dicebant, ubi tantummodo *Jesu* nomen adhibere debuissent: hunc enim, *Jesum* nimirum, *Ebionæi*, æque ac omnes reliquæ antiquitatis judaizantes sectæ, nudum hominem appellabant, non vero ipsum *Christum*. Deinde cum judaizantes isti Christiani secundum priscæ theologiæ judaicæ decreta, hunc *Jesum*, utpote justum & sanctum hominem, affirmarent a Deo electum esse, ut *Messias* fieret; patres priscæ illius theologiæ formularumque in illa occurrentium plerumque ignari, non attendebant, qua ratione aut quo sensu istæ factiones hoc dictum & acceptum esse volebant. Etenim hi judaizantes homines, ut ipsorum ratio a majoribus suis accepta postulabat, istud ita interpretabantur, quod *Jesus* propter insignem ju-

b


Aiti-



flitiam & sanctitatem dignus habitus & a Deo destinatus sit, in quem coelestis iste Christus, sive divina Messiae natura, ante saecula apud supremum patrem praexistens, sese demitteret, eumque ad exequenda Messiae numera idoneum redderet. Ita *Ophite*, ita *Cerinthus*, ita & *Nazaræi* & *Ebionæi* nostri, secundum expressam ipsorum confessionem. Hoc apud ipsos erat illud, quod *Eusebius* dicit, ipsos habuisse Christum pro homine *καταπροκοπην ἡθες δεικναιωμενω*. Sed patres hanc istius theologiae formam aut non intelligentes, aut negligentes, id unum urgebant, quod istae factiones *Jesum* nudum hominem dicerent, atque propterea, praetermissa ista de coelesti Messia doctrina, ipsos negatae divinitatis Messiae accusabant. Quod quidem patribus eo facilius accidere potuit, quoniam isti judæo-christiani arduam de unione personali doctrinam graviter lædere solebant, atque post illum etiam coelestis Christi in *Jesum* descensum, hunc quidem hominem nudum mansisse, nec cum coelesti Christo unam plane effecisse personam, sed auxilio & virtute tantum illius animatum fuisse, statuere videbantur. Hoc ita se habere eo magis adducor, ut credam, quod ipse *Epiphanius*, quamvis agnoscat & ex ipso *Ebionæorum* evangelio docuisset, coelestem aliquam & divinam naturam in *Jesum hominem* descendisse, cum eoque sese conjunxisse, nihilominus tamen eodem, qui reliquis patribus solemnis erat, more de *Ebionæis* loqui soleat, ex animi & fidei quadam mendicitate ipsos Christum *nudum hominem* statuisse. Vid. cap. VII. ubi *Epiphanius*: *Ebion*, inquit, *hebraica voce græca lingua mendicum sonat. Est autem hereticus revera mente, spe, factisque mendicus, utpote qui Christum merum esse hominem existimet, ανθρωπον ψιλον νομισας, in eoque spem cum quadam fidei mendicitate collocet.* Pari modo supra, commentat. II. in *Justini* M. cum *Tryphone* judæo disputatione vidimus, istam loquendi formulam, *nudus homo, ψιλος ανθρωπος*, non exclusisse in prisca judæorum theologia naturam aliquam
 Mes-

Messia divinam, illiusque cum Messia homine conjunctionem, sed repugnasse modo tum nativitati supernaturali, tum dogmati de unione personali, inde a primo conceptionis momento facta. Facile igitur intelligimus, quid reliquis patribus, qui ad interiores rationes horum judaizantium Christianorum non satis attendebant, aut eas omnino ignorabant, fraudi fuerit. Iestas nimirum voces, de *Jesu nudo homine*, captantes, ipsos putabant omnem Messia divinitatem in universum negare atque tollere. Hæc ad ipsum *Irenæum* & *Origenem* transferri & possunt & debent. Iste enim utut, ut supra ostensum est, doceat, *Ebionæos* aliquid divinitatis, *Cerinthi* saltem & *Carpocratis* more, in Messia admisisse; postea tamen L. V. c. I. & 33. ita contra illos disputat, ac si omnem sustulissent Messia divinam naturam. *Origenes* vero, *Serm. de duob. cæc. opp.* T. II. p. m. 88, ejusmodi verbis de *Ebionæis* differit, quæ *Epiphanius* descripsisse videri possit, ut eos mendicitatis & paupertatis in fide & cognitione accuset, propterea quod *Jesum* tantummodo *filium Davidis*, i. e. *nudum hominem*, dicerent, & deinceps innuat, longe sublimiora & excellentiora de ipso cogitanda esse: quod & credentes ex gentibus faciant, meliusque istis judæo-Christianis de Jesu statuunt. Quem *Origenis* locum quamvis b. *Moshemius*, *comment. de reb. christ. ante Const. M. Sec. II. §. 39. p. 330.* eo transferat, ut ipsos *Nazaræos*, & ita multo magis *Ebionæos*, negata divinitatis Messia suspectos reddat; totam tamen difficultatem per ea dispelli posse putem, quæ adhuc de vera horum hominum disciplina, & de falsa iniquaque illius interpretatione, quam nonnulli patrum adhibuerunt, dicta sunt.


§. VI. Majoris momenti illud videtur esse in eo, quem supra ab initio §. IV. attulimus, *Epiphani* loco, quod *Ebionæos* iste affirmat *negasse*, *Christum a Deo Patre esse genitum*, *sed tanquam unum ex archangelis creatum*, & *ius tamen majorem esse*. Hæc enim crassissimum Arianismum sapere, & re ipsa veram Messia divinitatem tollere videntur. Habuerunt fortasse



ejusmodi periculosa Ebionæorum opiniones ortum suum ex incautis nonnullis priscorum Judæorum loquendi formulis, quibus *creationis* vocem nonnunquam de divina Messia natura adhibere solebant. Sed in superioribus jam observatum est, non crasso isto *Arii* sensu priscos Judæos ita nonnunquam locutos esse. Correxerunt alibi & emendarunt ejusmodi voces, ostenderuntque, se *creationis* nomine de Messia non eo modo uti, quo de reliquis creaturis, sed de longe sublimiori planeque ineffabili origine Filii a Patre. Id mihi quidem hoc magis vero videtur simile, quod *Pseudoclemens* iste, qui itidem ejusmodi loquendi formulas adhibet, dissertis tamen & conceptis verbis simul mentem suam eo, quo dixi, modo declarat. *Genuit Deus*, inquit *auctor Recognit.* L. III. c. 8, *quod & facturam vocare didicimus. Hoc ipsum ergo vocare & genituram, & facturam, & reliqua horum vocabulorum, illud quod sine schemate constat genitoris specimen, ponere permittit.* Nihil fecius idem homo in tota hujus orationis connexione, quamvis disputatio illius sit obscura, longeque periculosioribus ingenii humani subtilitatibus, quam in tanto mysterio par erat, referta, ita tamen disputat, ut facile intelligas, nullo modo ipsum his vocibus aliquam *creationis* speciem, quæ & in reliquis creaturas cadere possit, complecti, sed infinitis modis sublimiorem & plane ineffabilem tribuere Filio originem a Patre. Quidquid contendit auctor, eo videtur redire, ut tum crassas notiones nativitatis, quasi per aliquam immutationem aut divisionem substantiæ divinæ acciderit, removeat, tum *discrimen personale* Patris & Filii in tuto collocet, ostendatque, non *eundem esse numero* Filium unigenitum cum ingenito Patre, qui postea fuit *Sabellii* aliorumque error. *Qui esse non inchoavit Deus*, inquit l. c. *genuit primogenitum omnis creature, sicuti Deum decuit: non se immutans, non se convertens, non se dividens, non destuens, non extendens aliquid.* En voces, quibus ipsi *Nicæni* patres ad removendas falsas opiniones deinceps sæpius uti consueverunt. Sic & *cap.* 10, adversus alterum

rum

rum extremum eorum, qui personas Patris & Filii confundebant, five, ut ipse ait, eorum, qui audent dicere, *infectum a facto sola appellatione distare*, & affirmant, *illud quod genite distinctum est, adversus innatum, esse substantia ingenitum*, hoc modo disputat: *unum enim non est, neque ipsum sibi præcipit, dicens, sede a dextris meis --- sed neque contendit adversus se ipsum, ut aliquid videlicet ejus permaneret ingenitum, aliquid vero nativitati subjiceretur --- vel etiam illud, quod ad missionem pertinet, aut quod ipse semet ipsum præferens collaudaverit, dicens: & vidit Deus, quia bona; postquam ab unigenito sex diebus effecta sunt, quæ facta esse constat.* Cæterum, utut tanta contentione discrimen Patris & Filii inculcet, crassasque & corporeas nativitatis notiones refutet; ne vestigium tamen ullum occurrit impii Arianorum erroris, qui Filium plane ad classem reliquarum creaturarum detrudebant, aut formulæ istius, quæ characterem crassi Arianismi constituit, *extitisse filium ἐξ ἑαυτοῦ*: sed quamvis substantia Patris etiam post nativitatem nunquam ad dissensionem surrexerit, & Filius a Patre numero distet, nec sit Filius Autopator, i. e. ipse sibi Pater; tamen, inquit, *quod ingenitum erat substantia, i. e. Patrem, genitura in dualitatem dinumeratum esse, i. e. genuisse filium ejusdem naturæ: unigenitum igitur esse imaginem ingenite virtutis, imaginem scilicet unicam, quæ immaculata permaneat, & quamvis unigenitus ipse ingenitus haud sit, ingeniti tamen totam in se demonstrare virtutem, ita ut sit talis ac tantus Deitate.* Hæc propria hujus Ebionæi hominis verba, quæ profert l. c. cap. 10, quis non videt quam vehementer repugnent cunctis Arii in Filium Dei injuriosis sententiis. Etenim de iis, qui post exortam arianam controversiam errorem subtilius incruflare, & evitatis crassis formulis ad veritatem propius accedere videdantur, jam non disputo: sed de primitivo genuinoque Arianismo, ad cujus partes nemo sine summa injuria hunc Pseudoclementem trahere posse arbitror. Addas verba clarissima, quæ



habentur l. c. cap. 69: *Nolite putare, duos ingenitos dicere Deos, aut unum divisum esse in duos, vel sicut impii dicunt, eundem masculinum & feminam sui effectum: sed filium Dei unigenitum dicimus, non ex alio initio, sed ex ipso ineffabiliter natum.* It. cap. 24: *erat semper, & est, & erit illud, a quo prima voluntas genita sempiternitate constat, & ex prima voluntate iterum voluntas. Post hæc mundus, ex mundo tempus, ex hoc hominum multitudo; ex multitudine electio amicorum, ex quorum unanimitate pacificum construitur Dei regnum.* Per voluntatem primam & secundam ab auctore nostro Filium & Spiritum s. innui, cuius facile constat, qui hos libros unquam attentius paullo perlegit: nec reliquis cæterum orthodoxis patribus hanc loquendi formulam incognitam aut reprobam fuisse, *Cotelerius* ad h. l. recte observat. Filio igitur *Pseudoclemens* noster *sempiternitatem* tribuit, ipsum super omnes creaturas, sive universum mundum collocat, tempore eximit; quæ cuncta Arianismum funditus evertunt. Sic & L. VII, c. 7. *Filium*, affirmat, *omni creatura esse nobiliorem.* Cæterum hic homo Judæus, rerum gentis suæ, ut apparet, apprime gnarus, qui de præexistente Mesia divina natura tam præclare sentit, de hoc dogmate convenire ait inter Judæos & Christianos, nec controversiam inter ipsos in eo versari, an Messias eo sensu, quem proponit auctor, sit Dei filius? sed tantummodo, utrum Jesus Nazarenus sit iste Messias? *Sacerdotes*, inquit ex Petri persona L. I. c. 43, *frequenter mittentes ad nos, rogabant, ut eis de JESU differeremus, si ipse esset propheta, quem Moyses prædixit, qui est Christus æternus.* De hoc enim solo, nimirum an Jesus Nazarenus sit iste propheta & Christus æternus? *nobis, qui credimus in Jesum, adversum non credentes Judæos videtur esse differentia.* Conf. cap. 50. ubi, *Christum*, inquit auctor, *suscipi a Judæis -- & credi ei, qui expectabatur ad salutem populi, secundum traditiones patrum consequens erat -- -- sed cum venisset, ab his qui eum expecta-*
re

re videbantur ex traditione majorum, omnino agnitus non est. - - - Erraverunt ergo Judæi de primo Domini adventu, & inter nos atque ipsos de hoc est solum dissidium. Nam quod venturus sit Christus, norunt etiam ipsi & expectant; quod autem jam venerit in humilitate, hic qui dicitur Jesus, ignorant. His simul ea, quæ commentatione altera de prisca judæorum fide disputavimus, vehementer confirmantur, ad confundendos eos, qui perfidis recentioribus Judæis hac in parte credere malunt, quam antiquissimis ipsorum Judæorum monumentis. Nec ego quidem, loco paullo ante ex L. I. c. 24. prolato, obscura mihi vestigia ejusmodi doctrinæ videre videor, quæ schemate arboris cabbalisticæ tradi solet. Unde conficias, hujus generis doctrinam aliquam omnino antiquissimis jam temporibus apud judæos receptam fuisse, nec ad declarandam originem creaturarum tantummodo pertinuisse, sed & ad tradendam doctrinam de Deo personisque divinis. Ad *Clementinorum* auctorem quod attinet, quamvis, ut supra observari, in nonnullis multo periculosius & inquinatius disputet, nec apud ipsum tamen desunt luculentissima antiquæ fidei judaicæ & ebioniticæ indicia, de Filio Dei ex ipsa Patris essentia nato superque omnes creaturas infinitum collocando. *Homil. XVI, cap. 12.* *Unus est*, inquit, ut latine tantum compendii gratia verba recitem, *qui sapientiæ suæ dixit, faciamus hominem.* *Huic vero sapientiæ, tanquam proprio spiritui, ipse semper congaudebat. Unita quidem est Deo ut anima, ab eo autem extenditur, velut manus universitatem producens. Propter hoc vero & unus homo conditus est, ab eo autem sexus fæmineus processit. Cumque una sit genere, dualitatem facit.* En prisca & genuinæ fidei judaicæ vestigia, de Filio Dei, quod sit sapientia Patris, tanquam peculiaris persona apud ipsum semper existens, per quam mundus creatus sit, ipse vero non ἐξ ἑκ ὀντων creatus, sed ex essentia patris prodiens ejusdem sit divinitatis cum Patre. Etenim disputat hæc auctor contra


tra

tra *Simonem magum*, qui inter alia ex *Genes. I, 25.* docere volebat, plures in scriptura sacra, ipsaque natura & essentia diversos Deos, commemorari. In hac ipsa *Homil. XVI.* plura occurrunt & adhuc luculentiora hujus rei testimonia. Etsi enim impostor inde a *cap. XIV.* acerrime contendat, *Dei nomen* proprie Christo tribui nec posse nec debere, & ipsum *Jesum* nunquam se Deum dixisse, appellationem vero *Dei*, quæ angelis nonnunquam imponatur, ut illi, qui ex rubo cum Mose locutus, aut cum Jacobo luctatus sit, aut cum *Emmanuel* natus ex virgine *Deus fortis* vocetur, improprie tantum & abusive capiendam esse; nihilo fecius tamen totam disputationem *cap. XVI.* eo revocat, ut discrimen *personale* Filii a Patre inculcet & contendat, non eundem esse Filium cum Patre, quanquam a Patre genitus, immo *ejusdem essentia*, τῆς αὐτῆς ἔσσης, cum Patre sit. *Qui per omnia* inquit, *idem non est cum aliquo, non potest eisdem omnes cum eo habere appellationes - - - quare non intelligis, quod ille quidem, Pater, per se genitus est, vel & ingenuus. Hic vero, Filius, quia est genitus, idem dici nequit, neque si ejusdem substantia genitus cum gignente sit*, ἕδ' ἂν τῆς αὐτῆς ἔσσης ὁ γεγεννημένος τῷ γεγεννησῶτι. Hæc omnia quamvis admodum impura & temeraria sint, atque recentiore jam judaismum, in dies magis magisque a majorum fide & decretis deficiantem redoleant, nondum tamen sunt *ariana* eo sensu, ut Filium, reliquarum creaturarum instar ἐξ ἑκ ὄντων prodiisse affirmare audeat, multo minus *sociniana*. Disputat impostor non tantum contra *Simonem magum*, uti videri vult, sed &, ut alibi passim, subdole & tacite contra reliquos orthodoxos Christianos, immo adversus ipsum *Paulum apostolum*, quorum sententias teste fugillat. Vocabant & adorabant reliqui Christiani Messiam *ut Deum* unacum Patre, idque quod jure fiat, inter cætera etiam ex nativitate Filii a Patre probabant. Hoc postremum ipse negare non audet: sed prius illud displicebat homini corruptioni jam

jam judaismo infecto; quia id quidem putabat præcipuo judæorum dogmati, quo a gentibus fecernebantur, de *unitate Dei* obflare. Hinc ut argumenti vim eludat, ad subtilitates delabitur, non posse omnino contendens Filium cum Patre unum eundemque esse, quia genitus sit, Pater vero ingenitus: quæ quidem ad constituendum discrimen *personale* pertinent, rem ipsam vero ab orthodoxis Christianis propugnatam non evertunt, quod Filio propter generationem eadem essentia eademque divinitas cum Patre competat. Immo usque eo premitur impostor hujus argumenti pondere, ut tandem *pythagoricum* istud & *platonium* impurum dogma, de ortu *animarum* omnium ex essentia divina, in subsidium advocet. Quod ut concederetur a reliquis Christianis, quemadmodum necesse non erat; ita ipse hicce homo scire poterat & debebat, si *platonium* istud systema probari posset & deberet, per illud quidem *Dei* appellationem Messiaæ propter proximam generationem a Patre non ereptum, sed potius fortissime vindicatum iri. Sed hæc hæctenus. Sufficiat nobis, hunc scriptorem, utcumque cæteroquin erret, reipsa tamen non præexistentiam modo Messiaæ, sed & divinam ejus majestatem, æqualem Patri, atque per generationem essentialem, non per creationem aliquam ex nihilo ipsi collatam, agnovisse, proptereaque illum e numero omnium creaturarum ipsorumque angelorum infinitis modis exemisse. Huc & pertinet alius locus, *Homil. XVII. cap. XVI. Non dico, inquit, a mortalium oculis videri posse incorpoream Patris aut Filii speciem, quia maximo lumine resplendet - - - nam qui viderit, vivere non potest - - - incorpoream siquidem virtutem non solum Filii, sed nec angeli, nemo potest cernere.* Vides, ad Filium Mosis verba, *Exod. XXXIII, 20.* eodem modo, quo ad Patrem, applicari, eundemque eundem cum Patre divinæ majestatis splendorem tribui, neque eum a *Pseudoclemente* nostro in angelorum clasibus & genere comprehendi, sed ab ipsis, proptereaque ab universo creaturarum ordine discerni, & collocari super omne istud, quod

e

alias




alias creatura vocari solet. Addas, quæ *Homil. XVIII. cap. XIII.* auctor disputat, *Filium Dei ab initio existisse, ἀπ' ἀρχῆς ὄν, omnibusque Patriarchis & piis inde ab Adami ævo cognitum & fide receptum fuisse.*

§. VII. Hæc ad declarandum istud, quod *Epiphanius Ebionæos* de Christo creationis vocem adhibuisse affirmat, sufficere possunt. Quin & ipsos quosdam cæteroquin orthodoxos antenicænos patres a *creationis* vocabulo, cum de Filio disputant, non omnino abhorruisse, quis est, qui ignoret? sed eosdem illos nihilo secius ab *Arii* crasso sensu longissime abfuisse, viri docti dudum ostenderunt. Locuti igitur fuerint *Ebionæi ἀρχαίως* & incaute; non *ariane* tamen senserunt. Idque ex eo ulterius confirmatur, quod, ut ipse *Epiphanius* continuo adjicit, *Ebionæi* Christum super omnes reliquas res creatas ipsosque archangelos collocantes, re ipsa illum e creaturarum numero exemisse videantur. Nec opus est, ut *Epiphani* verba, *negasse Ebionæos nativitatem a Patre*, presse urgeamus, aut putemus, dissertis & conceptis verbis illos, cum alium quempiam *de nativitate* Filii differentem audierint, hocce dogma repudiasse. Potuit *Epiphanius* cum *Ebionæos creandi* voce uti animadverteret, ex suo tantum ingenio alteram istam propositionem inferre, & putare, necessario illos nativitatem negare & tollere, quia *creationem* Filii statuerent. Sed mittamus hæc: fuerint nonnulli *Ebionæorum* crassis istis opinionibus, quas deinceps *Arius* propugnavit, re ipsa imbuti; non ad omnes tamen hocce crimen pertinere, itidem supra ex alio *Epiphani* loco, qui est cap. III. jam ostendimus.

§. VIII. Quas *Epiphanius cap. XVII.* de *Ebionæorum* sui temporis dogmate profert nugas, quod, cum quis ipsorum ægrota- ret, elementa invocarint ad recuperandam sanitatem, item quod cœlestis Christi mensuram quandam corpoream in longitudinem & latitudinem multorum miliarium extensam effinxerint, Spiritumque sanctum muliebri figura prope ipsum stantem ejusdem

dem corporeæ extensionis esse somniarint: has inquam nugas ægrotaquæ phuntasæ deliria ipse *Epiphanius* a priscis antiquissimisque *Ebionæis* removet, continuo adjiciens: *jam hoc antea declaravimus, hæc omnia Ebionem nescivisse.* Revera in hunc locum ista *Epiphani* conjectura, corruptam fuisse posteriori tempore *Ebionæorum* disciplinam a fanatico quodam homine, summa cum ratione quadrat. Repugnant enim hæc somnia cunctis illis argumentis, quæ de primitivo horum hominum statu adhuc in medium attulimus. Ac etsi *Epiphani* ævo nonnulli *Ebionæorum* hisce deliris opinionibus capti & delectati fuerint; ipse tamen *Epiphanius* vestigia satis luculenta nobis suppeditat, unde jure concludamus, multos adhuc inter hunc gregem superfuisse prudentiores homines, qui saniora saperent, priscamque retinerent doctrinæ formam. Etenim supra jam retulimus ipsa *Epiphani* verba, quibus ostendit, abhorruisse alios ex istorum numero ab ineptis subtilitatibus aliorum, qui de Christo nescio quid absurdum garriebant, simpliciterque inhæsisse istis notionibus, quæ antiquitus in evangelio ipsorum traditæ erant. Nec ex his aliud quid sequitur, quam ut hæc factio sensim colluvies quædam variorum hominum evaserit, qui ab judaismo ad eam se conferentes simul multas fanaticas opiniones inter Judæos tum temporis vigentes, puta *essenicas*, *kabbalisticas*, aliasque hujus generis, secum attulerant, & inter Ebionæos spargebant, ita tamen, ut semper inter ipsos etiam ejusmodi homines relinquerentur, qui ab his deliriis puri pronunciandi sint, simplicemque istam theologiæ rationem adamarent, quam majores ipsorum ex institutione Judæorum populari addidicerant & cum christiano dogmate, quod *Jesus Nazareus* sit verus Messias, conjunxerant.

§. IX. Unum adhuc in *Epiphani* commentario ad illustrandas *Ebionæorum* res observatu dignum est. Etenim cum in refellendis istorum erroribus versaretur, dogma imprimis de *Christi* persona inde a *cap. XX.* ita tractat, ut ea, quæ adhuc de genuina horum hominum sententia disputavimus, in clarissima



luce collocata appareant. Inter alia *Epiphanius* cap. 29: *cum statim adoretur, a Magis, qui natus est, inquit; non nudus est homo, sed Deus: neque post annos triginta, vel baptismum, Christus efficitur; sed confestim Christus e Maria virgine Deus pariter atque homo natus est. - - - Anno ætatis duodecimo sedens inter sacerdotes - - - non hoc anno demum trigesimo faciebat, ut dicere possis; ex quo Spiritus in eum sanctus illapsus est, Christum esse cœpisse. - - - Quamobrem si ab ipsa propemodum infantia templum patremque cognoverat; utique non merus homo natus ille Jesus extitit, neque post annum demum tricesimum, cum se in eum columbæ specie Spiritus sanctus insinuasset, Filius ac Christus appellari cœpit.* Abunde ex his intelligas oportet, quæstionem controversam inter orthodoxos Christianos, totamque sine discrimine ebioniticam factionem non in eo versatam esse, ex *Epiphani* sententia, an cœlestis quidam Christus & aliqua divina natura sese cum *Jesu homine* conjunxerit? Hoc enim lubentes largiebantur *Ebionæi*, & ipsi idem vehementer affirmabant. Sed de eo disputabatur, utrum conjunctio ista divinæ naturæ cum humana inde confestim a primo momento conceptionis & nativitatis *Jesu hominis* acciderit, ita ut hicce Jesus in una sua persona non nudus homo, sed Dei Filius semper omnique tempore extiterit? an vero *Jesus* more reliquorum hominum ut nudus homo natus sit, nudusque homo usque ad trigesimum ætatis annum permanserit: quo demum tempore in eum, tanquam de domo Davidis prodeuntem & a Deo constitutum Messiam hominem, cœlestis Christus, sive divina Messæ natura, jam ante mundi tempora apud Patrem præexistens descenderit? Prius illud orthodoxæ ecclesiæ erat dogma: quod *Ebionæi* quidem inficiabantur, alteramque istam sententiam propugnabant, atque hoc sensu, *Jesum esse nudum hominem* pronuntiabant. Transferas hæc ad omnia reliqua priscorum auctorum de *Ebionæorum* dogmate loca explicanda & emendanda, & cuncta cum antiquorum judæorum sententia, quorum progenies erant *Ebio-*


Ebionæi, ac cum omnium reliquorum prisca temporis judaizantium hominum opinionibus pulcre & ex asse conspirabunt.

S. X. Possent adhuc plura capita ebioniticæ disciplinæ ab *Epiphanio* commemorata, diligenti & attenta comparatione cum *Pseudo-Clementis* disputationibus instituta, in egregia luce collocari, neque hæc inutilis ad illustrandas antiquissimas Judæorum, quin & christianæ ecclesiæ res foret opera. Sed hæc nimis longe nos a re proposita essent abductura. Istis igitur, quæ ad dogma de Christi persona proxime non pertinent, in præsentia prætermittis; unum tantummodo alterumve locum ex aliis auctoribus afferemus, *Epiphanio* & ipso *Eusebio* antiquioribus, quæ nos docere possint, prisca patribus, quanquam *Ebionæos* ex hoc capite vehementer accusent, quod Christum *merum hominem* dixerint, veros tamen horum sensus non plane incognitos fuisse. Pulcre nimirum nonnulli videntur intellexisse, istud dogma ab *Ebionæis* non *Theodoti* aut *Artemonis* more propugnatum esse, nec sustulisse ipsos propterea præexistentem Messia divinam naturam, sed præcipuum eorum errorem pertinuisse tantum ad unionem duarum naturarum personalem, quam tollebant *Ebionæi*, Jesumque naturali more genitum esse, & conjunctionem aliquam, eamque exteriorem tantummodo æterni Christi cum sancto isto homine Jesu, baptismi demum tempore accidisse affirmabant. Primus prodeat in medium *Tertullianus*: qui de præscript. Heret. opp. p. m. 101: in epistola, inquit, eos maxime antichristos vocat, Joannes, qui Christum negarent in carne venisse, & qui non putarent, Jesum esse Filium Dei. Illud Marcion, hoc HEBION vindicavit. Non recentiores modo docti viri, sed antiquissimi jam patres intellexerunt, quod supra comment. altera paucis ostensum est, totam istam *Joannis* disputationem ejus generis hominibus oppositam fuisse, qui gnosticarum aut gnosticis similium opinionum erroribus ducti, non negabant quidem aliquam superiorem & divinam naturam se cum Jesu homine conjunxisse, sed solvebant unionem personalem, nec concedere



cedere volebant, Jesum in una sua persona inde a primo conceptiones momento per unionem intimam & personalem fuisse coelestem istum Christum, sive Dei Filium. Hanc igitur Apostoli disputationem cum *Tertullianus* ad *Ebionaeos* etiam transferat; obscurum esse haud potest, quam sententiam ipse his hominibus tribuat, aut quo sensu illos alibi dicat Jesum pro nudo homine habuisse, eodem nimirum, quo auctor *Appendicis* ad hunc *Tertulliani* de *praescript.* libellum, *opp. p. m.* 109, ipsum *Cerinthum* hujus erroris accusat, quod Christum ex semine Joseph natum, *hominem tantummodo sine divinitate fuisse contenderit.* Etenim *Cerinthus* propterea, quod omnes prisca auctores concedunt, aliquem divinum Christum existisse, seque cum Jesu homine baptismi tempore conjunxisse, non negabat. Si adhuc clariorem aliquem *Tertulliani* locum desideres; habes illum de *carne Christi*, *opp. p. m.* 26. ostensurus enim *Tertullianus* contra *Docetarum* somnia, veram carnem, non animam tantum humanam, assumpsisse Christum, inter alia & istam fictionem removet, quasi Christus angeli naturam assumerit. Hac occasione simul docet, non angelum quendam in Jesu homine habitasse, sed ipsum Dei Filium, qui quamvis nonnunquam *angeli* nomine vocetur, non esse tamen ipsum angelum natura, sed gerere tantum hoc nomen nonnunquam officii, quod subiit, gratia. Igitur hoc etiam errore repudiato, adjicit: *poterit haec opinio*, quod angelus aliquis in Jesu homine habitaverit, *EBIONI convenire, qui nudum hominem & tantum ex semine David, non item & Dei Filium constituit JESUM, plane prophetis aliquo gloriosorem, ut ita angelum in illo fuisse edicat, quemadmodum in aliquo Zacharia.* His ex verbis primo quidem illud manifeste apparere arbitror, *Tertullianum*, cum *Ebionaeos* vituperat, quod Jesum nudum hominem dixerint, nullo modo tamen ipsis propterea attribuire, quod in universum aliquam superiorem & coelestem naturam cum Jesu homine conjunctam fuisse negaverint. Edixisse enim *Ebionem*, quod aliqua ejusmodi superior natura Jesu homi-

homini adstiterit, quemadmodum reliquis prophetis factum esse legimus, *Tertullianus* conceptis verbis affirmat. Deinde & illud ex hac disputatione videtur haud obscure colligi posse, quamvis *Tertullianus* more suo invidiosius paullo *Ebionæorum* sententiam describat, non statuisse tamen illos, quod illa superior natura, quæ in Jesu homine aderat, plane ejusmodi nudus & creatus angelus fuerit, qualem nonnunquam cum prophetis Dei jussu locutum esse legimus, sed longe sublimius diviniusque quid. *Gloriosorem enim prophetis* Jesum exstitisse ex *Ebionæorum* sententia, ipse *Tertullianus* disertè testatur: quod sane aliter intelligi haud potest, quam ut statuerint *Ebionæi*, naturam istam superiorem, quæ in Jesu habitabat, gloriosorem & excelsiorem fuisse angelis istis creatis, qui nonnunquam cum prophetis versabantur. Monet nos *Tertullianus* hac adjecta cautione, ne, cum dicat, *Ebionæorum* sententiam quodammodo cum illis consentire, qui angelum in Jesu adfuisse adseverent, hoc quidem ita interpretemur, quasi omnino superiorem istam naturam in Jesu homine pro nudo & creato angelo habuerint: sed modum tantummodo se carpere innuit, quod *Ebionæi* aliam intimioremque illius divinæ naturæ cum Jesu homine conjunctionem non admitterint, quam qualis inter angelum & prophetas nonnunquam intercesserat. Sic ipsos revera putat magnum istud dogma tollere, quod toto hoc libello confirmare satagit *Tertullianus*, Filium Dei vere humanam naturam in unitate personæ adsumsisse, hocque respectu ipsos meliores multo non fuisse *Gnosticis* istis, sive *Docetis*, qui veritatem humanæ naturæ omnino negabant. Sed ut hæc obscuriora fortasse nonnullis videantur, utque ipse *Tertullianus* *Ebionæorum* sententiam ita acceperit, quasi naturam istam, quæ Jesu homini adstiterit, ex angelorum tantummodo genere fuisse affirmarint; istud tamen certum indubitatumque manet, ex ipsius *Tertulliani* testimonio agnovisse *Ebionæos* præter nudam istam humanam Christi naturam, alium quendam celestemque Christum, cujus virtute animatus Jesus homo Messie
expl-



expleverit munera. Sic ad *Arianorum* fortasse classẽ referendi essent *Ebionæi*, nullo modo vero ad gregem *Artemonis* aut *Photini*. Sed hoc ipsum quale sit, ex iis, quæ adhuc disputata sunt, facile dijudicari potest. Etenim aut omnino injuria infertur *Ebionæis* per hanc criminationem, quæ ex male intellecta ipsorum theologia & loquendi ratione originem duxit: aut si ex ipsorum numero aliqui ad hunc errorem delapsi sunt, reliqui tamen iique antiquissimi *Ebionæi* longissime ab eo fuerunt remoti, qui priscam gentis suæ theologiam retinentes, cœlestem istum Messiam pro vero Israelis Deo, non creato, sed a supremo Patre nato, habuerunt.

§. XI. Alter vetustus auctor, qui pro *Ebionæis* testimonium dicat, sit ipse *Origenes*: qui quamvis alias iniquiorem se paullo ebionitici dogmatis interpretem præbeat, nihilosecius tamen apud *Pamphilum* martyr. in *Apolog. pro Orig. opp. Orig. T.I. p. m. 760*, disertissimis verbis *Ebionæos* nostros ex eorum numero videtur eximere, qui negant veram & præexistentem Messiaë divinam naturam. Verba ipsius, quæ ad rem propositam faciunt, hæc sunt: *Sed nunc unum atque idem*, hæreticum aliquem esse, *credendum est etiam de eo, qui de Domino nostro Jesu Christo falsi aliquid senserit: sive secundum eos, qui dicunt eum ex Joseph & Maria natum, sicut sunt Ebionitæ & Valentiniани: sive secundum eos, qui primogenitum eum negant, & totius creaturæ Deum & verbum & sapientiam, quæ est initium viarum Dei, antequam aliquid fieret ante secula fundatam, atque ante omnes colles generatam, sed hominem eum solum dicentes.* Quod si igitur *Pamphili* fidei & auctoritati in referendis his *Origenis* verbis aliquid tribuendum est, quod cur fieri non debeat, nihil causæ aut rationis video; non ex eorum genere fuerunt *Ebionæi*, qui negabant, divinam Messiaë naturam existisse ante sæcula, esseque Deum, & verbum Dei, atque primigeniam sapientiam, conditoremque mundi vocari: hæc omnia intacta & incorrupta ipsi relinquebant; sed error ipsorum versabatur

batur in eo, quod Jesum, qui sit *Mesias homo*, more naturali reliquorum hominum, ab utroque parente generatum esse, cumque eo postea demum divinam istam naturam sese aliquo modo conjunxisse contenderent. *Ebionæi*, *Origene* teste, hac in parte *Gnosticorum*, *Valentinianorum* præcipue quorundam, similes fuerunt, quos divinam *Mesias* naturam simpliciter sustulisse nemo unquam dixit: & ipsorum loquendi ratio, cum Jesum nudum hominem vocare solebant, non *Artemonis* aut *Photini* sensu est interpretanda, sed more istorum *Gnosticorum*, qui id quidem de humana *Mesias* natura volebant accipi, quam naturali modo genitam esse affirmabant, non negata interim præexistentia celestis & æterni Christi. Hoc totum quam pulcre cum prisca Judæorum theologia, unde *Ebionæi* nostri primitus disciplinam suam sumserant, & cum reliquarum sectarum ex Judaismo prodeuntium, *Nazaræorum* dico, *Cerinthianorum*, aliorumque rationibus conspiret, cum quibus etiam alias sæpissime prisca patres *Ebionæos* comparare & componere solent, vides.

§. XII. Sed alienum haud erit, ut jam, quæ ex hisce argumentis adhuc pertractatis jure concludi posse videantur, in aliquam summam contrahamus, integramque *ebionitici* dogmatis *de Persona Christi* formulam lectorum subjiciamus oculis. Hoc igitur sic habeto. I) Exstitit ante conditum mundum aliqua apud supremum Patrem divina persona, non creata, sed ab ipso Patre ineffabili modo nata, ipsius illius divinæ majestatis particeps, quæ mundum condidit, Patriarchis apparuit, & angelus iste foederis fuit, qui cum Mose versatus, lege lata, Deus Israelis, Schechina, & gloria Domini vocatus est. II) Eadem illa divina persona a Patre ab æterno destinata erat, ut suo tempore longe gloriosiori quam unquam antea modo, super sancto aliquo homine, e Domo Davidis oriundo, appareret, virtute divina ipsum animaret, perque eum promissam redemptionem Israelis, *Mesias* nomine

d


mine



mine insignitus, perficeret. III) Id quidem re ipsa accidit in *Jesu Nazareno*, qui fuit sanctus iste, & a Deo ad subeunda Messia munera electus homo, cæterum vero naturali modo e domo Davidis patre *Josepho* & matre *Maria* natus, eatenus nudus homo, nec aliud quid, præter reliquos homines, existit, usque dum di-
 na ista persona, *Schechina* inquam & *verbum Domini*, sese in ipsum demitteret, & cum eo conjungeret. IV) Illustris ista glorio-
 saque *Schechinæ* super *Jesu* homine apparitio & manifestatio contigit, cum *Jesus* baptizaretur a *Joaanne* in Jordane, divinus & æternus Christus, Spiritus sancti nomine in evangelio insignitus, sub forma columbæ, inspectantibus populis in ipsum delaberetur, sicque ipsum admodum solemnem modo ad *Messia* officium inaugureret. In nonnullis igitur *Ebionæi* nostri cum *Nazaræis* plane consentiebant, & priscam genuinamque Israëlitis theologiam de *Messia vero Deo*, a Patre supremo ineffabiliter nato, retinentes, *Cerinthianis*, *Ophitis*, aliisque *Gnosticis* factionibus multo meliores erant, quæ ad classem inferiorum æonum divinam Messia naturam detrudebant. Quocirca hac in parte *Ebionæorum*, uti *Nazaræorum* error, quo discernebantur ab orthodoxis Christianis, doctrinamque apostolicam corrumpebant, unice in unione personali minus recte explicata versatus esse videtur, qui ipsis ob nimium, quo fascinati erant, erga patriam disciplinam amorem adhæserat. In aliis vero *Ebionæi* deteriores erant *Nazaræis*, ut cum *Cerintho* supernaturalem *Messia* hominis conceptionem & nativitatem tollerent & negarent. Hæc vero omnia de primis tantummodo *Ebionæis*, eorumque præcipua parte, intelligenda sunt. Etenim aggregasse se sensim ad hanc factionem multos ineptos insipientesque homines, qui *Essenorum*, *Kabbalistarum*, *Gnosticorumque* somniis capti erant, sicque *Ebionæos* evasisse lapsu temporis variam quandam turbam, multo pluribus gravioribusque adhuc erroribus in ipso de divinitate *Messia* dogmate contaminatam, itidem passim observavimus.

§. XIII.

§. XIII. Ex his, quæ de *Ebionæis* adhuc in nonnullis commentatiunculis disputavimus, multa maximi momenti consecraria sequuntur, quæ ad retegendam primitivam christianæ disciplinæ faciem vehementer faciunt, infinitaque nobis adjumenta suppeditant, si de sanctissima nostra religione ad primas suas origines revocanda, & ab humanis accessionibus purganda, solliciti sumus. Imprimis *photiniani dogmatis* nuditas & turpitudine, quod ad personam Servatoris nostri attinet, in plena luce collocatur, tanquam error, uti priscis Judæis, ita toti primitivæ antiquitati christianæ plane incognitus, labente demum tempore per inscientiam & imprudentiam aliunde ex impuris fontibus adscitus, totamque doctrinæ formam ab Apostolis traditam primisque ipsorum discipulis creditam, plane & funditus evertens. Senferunt quodammodo ii, qui recentiori ævo *Photini* dogma revocare laborarunt, hæc, quibus premuntur gravissima incommoda, propterea que primis christianæ rei originibus, ex monumentis ecclesiasticis eruendis, parum plerumque tribuere solent, metuentes, ut videtur, ne quam immani intervallo ipsorum dogma a primitivæ & apostolicæ ecclesiæ sententiis remotum sit, animadvertant homines. Putabant etiam fortasse, si, quidquid ex rebus & historiis istius temporis ad recludendos veros scripturæ s. sensus, mentemque Apostolorum recte capiendam facit, oculis aliorum subtrahatur, facilius aliquid sese inventuros esse, quo scripturæ dicta a genuino nativæque sensu avertere, & cum suis visis conciliare possint. Fuerunt tamen nonnulli, qui periculum facerent, ut & in antiquitate christiana causæ suæ præsidia conquirerent. In his nemo majora ausus est *Sam. Crellio*, dum *L. M. Artemonii* nomine adscito satis notum istum librum, *Initium Evangelii Joannis ex antiquitate ecclesiastica restitutum*, conscriberet: postquam ipsi *Souverainius* in *Platonisme dévoilé*, aliisque adhuc manuscriptis libris quodammodo prælusisset. Etenim homo multæ lectionis, nec ab ingenio destitutus, sed incredibilis audaciæ, qui ad infucandos vel



apertissimos errores fere natus & compositus videri possit, non id solum sibi propositum habuit, ut priores evangelii Joannis versiculos ad Socinianorum causam traheret; sed totum istud systema, quod ad negatam Christi divinitatem attinet, fulcire, exquisitissima argumenta, quibus propugnari possit, conquirere, orthodoxos exarmare, id vero erat, quod incredibili intentione virium & ingenii obtinere studebat. Contulit huc imprimis, quidquid ipsi ex antiquitate ecclesiastica idoneum videbatur, ut nobis persuaderet, primos optimosque Christianos, Apostolorum proximos discipulos, *Nazaræorum & Ebionæorum* nomine venientes, plane fuisse Socinianos, ipsosque, æque ac priscos Judæos, decretum istud de divina aliqua Messia natura ignorasse & respuisse: totam istam de Christi præexistente divinitate opinionem sequiori demum ævo a *Justino M.* ex philosophia platonica esse assumptam & ecclesie obtrusam, cujus discipuli deinceps summa importunitate & injuria primos istos & genuinos apostolicæ doctrinæ hæredes opprefferint & ex ecclesia ejecerint: nec posse ecclesie christianæ bene consuli, eamve ad primitivam suam faciem reduci, nisi istos, quos vi & injuria expulerimus, blande & amice rursus recipiamus & foveamus, i. e. nisi *Sociniani* fiamus. Graves sanæ criminationes, si quidem veræ essent! Sed tantum abest, ut *Artemonius* aliquid, quod sit operæ pretium, effecerit, ut potius totam suorum causam plane prodidisse putandus sit. Suo enim exemplo docuit, summa arte, doctrina, ingenio, veram præexistentemque Servatoris nostri Deitatem nec posse oppugnari, nec photiniano errori aliquem colorem conciliari, nisi intercedentibus crassissimis apertissimisque corruptionibus tum sacrorum, tum ecclesiasticorum librorum, vanis somniis & hypothesebus precario assumtis, aliisque hujus generis artificiis, quæ veritatem obscurare quidem in imperitorum oculis, at evertere & opprimere nullo modo possunt. Castigarunt hominis audaciam, quod ad momenta critica attinet, jam antehac non-

nonnulli: sed nostra præsertim ætate operæ pretium videtur, cum *Artemonius* quidquid speciosi ex antiquitate ecclesiastica pro hostibus divinitatis Christi dici potest, summo studio collegerit, quod data opera & pro dignitate rei nondum excussum est, ut hac in parte portentosa ejus somnia imbecillitasque & vanitas argumentorum, quibus pugnat, cuius ante oculos ponantur. Quod, cum ob præsentis scriptionis angustos limites nunc quidem fieri nequeat, ad aliud tempus rejicimus, id unum adjicientes, CIVES, ut, quid vestri sit officii memores, veram puramque de divina Servatoris majestate & gloria doctrinam ecclesiæ nostræ concreditam, eo transferatis, quo a veris Christianis transferri debet: ut nimirum abdicata impura flagitiorum & peccati servitute Deo & Servatori vestro vero fidei obsequio puraque mente servire discatis, ne quando olim ipsius divinum splendorem vel inviti conspiciere & agnoscere coacti fueritis, æterno terrore percussi intereat, 2 THES. I, 7-10.


P. P.


BUETZOVII SUB SIGILLO ACADEM.
IPSA PASCHATIS SOLEMNI FERIA,
MDCCLXVIII.




Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.


UNIVERSITÄT ROSTOCK
BIBLIOTHEK
MDCCLXXV







the scale towards document



tra præsertim ætate operæ pretium videtur,
quidquid speciosi ex antiquitate ecclesiastica
tatis Christi dici potest, summo studio colle-
opera & pro dignitate rei nondum excussum
te portentosa ejus somnia imbecillitasque &
orum, quibus pugnat, cuius ante oculos po-
tum ob præsentis scriptionis angustos limites
nequeat, ad aliud tempus rejicimus, id unum
S, ut, quid vestri sit officii memores, veram
ina Servatoris majestate & gloria doctrinam
ncreditam, eo transferatis, quo a veris Chri-
ebet: ut nimirum abdicata impura flagitiorum
e Deo & Servatori vestro vero fidei obsequio
vire discatis, ne quando olim ipsius divinum
viti conspiceret & agnoscere coacti fueritis,
rcussi intereatis, 2 THES. I, 7-10.

P. P.

OVII SUB SIGILLO ACADEM.
SCHATIS SOLEMNI FERIA,
MDCCLXVIII.

